



*M.* 13.













15

DISSERTATIO PHILOLOGICO-PHILOSOPHICA  
QVA  
IN SENSVM LOCI DIFFICILIORIS  
EPISTOLAE S. PAVLI AD ROMANOS

CAP. VII, 12 -- 25.

INQVIRITVR

P R A E S I D E

IOANNE LVDOVICO SCHVLZE A. M.

PHILOSOPHIAE PROF. PVBL. SEMIN. THEOL. INSPECTORE

FAVTORE ET PRAECEPTORE OPTIMO

D. DECEMBRIS MDCCLXIV.


DEFENDENDA

AB AVCTORE

ANTONIO FRIDERICO STRAVBE

NEOMARCHICO,

SEMINARII THEOL. SENIORE.



F.

HALAE MAGDEBVRGICAE EX OFFICINA HENDELIANA.

24



DISSERTATIO HILBERTO PHILIPPSONIO  
IN SENIUM SOCIETATIS  
EPISCOPALIS SIVILIS AD ROMANOS  
CAP. VII. P. 2.

INQUIRITAE  
P. R. A. E. S. I. D. E.  
IOHANNES LYDVIKUS SCHWABE A. M.  
P. R. A. E. S. I. D. E.

HAVTORI ET PRÆTORI OPTIMO

ANTONIO LYDVIKUS SCHWABE  
P. R. A. E. S. I. D. E.

HABITUS NOSTRORUM EX ORDINE HEDERIANI







Συνοψις.

I. Connexio cum superioribus. §. I — V.  
II. Discussio quaestionis praeviae. §. VI. VII.

III. Ipsa loci tractatio.

α) Dubium ex v. 13. proponitur. §. VIII.

β) Responsio Apostoli explicatur.

α) brevior, v. 13. §. VIII. IX.

β) uberior & accuratior v. 14 — 23.

a) legem esse bonam ex v. 14 — 16. demonstratur. §. X — XII.

b) vera pravae actionum declaratur origo, ex v. 17 — 23.

a) αμαρτιαν in nobis malas parere actiones & motus libidinosos ostenditur. §. XIII.

b) αμαρτιαν ergo cuiuscunque mali fontem esse concluditur. §. XIV — XVI.

§. I.



Ex quo in verum sensum eorum S. S. locorum, quae ad penitentiorem credendorum faciunt cognitionem, accuratius inquisitui, in huius potissimum difficilioris loci vero sensu indagando laboravi, qui attentione nostra eo dignior est, quo propius nos ad doctrinam de peccato originali ducit. Quantum autem loci, quem tractare volumus, vera proficit intelligentia, facile iudicabit, qui aequa rationis trutinam rem ponderaverit. Bene enim nosse labem illam haereditariam nos ad reliqua doctrinae christianae praeparat principia. Sed quare rem natura laudabilem multis sustinemus efferre laudibus? Ad ipsam loci tractationem potius nos accingamus. Ac de duobus quidem argumentis ante disputandum erit, quam loco nostro lu-





men affundere possimus. *Primo* de nexu illius cum antecedentibus: *deinde* de quaestione quadam, quae loci nostri interpretationi magnam perspicuitatem affert, paucis dicendum erit.

§. II.

Quòd ad nexum attinet, non est, quod pluribus consilium Pauli, in tota epistola illi propositum, declaremus. Quem, nos per solam, quae Christo debetur, fidem iustificari, docere velle satis constat. Ad hoc omnia recidunt, quae facer scriptor in hac Epistola exponit & solidis munit argumentis. Docet proinde, nos, neque propter bona opera, neque propter conditionem, in qua sit externae dignitatis simulacrum, a Deo salutem sperare posse; ideoque non nisi praeconcepam esse opinionem gentis cuiusdam, arbitrantis, se propter hanc inanem gloriam saluam esse ac felicem, alias vero gentes, quae sibi hunc splendorem euanescentem non vindicare possunt, Deo non probatas nec illius gratia dignas esse. Hinc inde a Cap. I. vsque ad Cap. VIII. ex Spiritu S. instructu docet, omnes in vniuersum homines non, nisi in Christum credant, salutem obtinere posse, neque alio quam hoc ordine a peccatis eorumque poena liberari. Cum aurem doctrina eius deprauatis libidinibus indulgere ac legem tollere nonnullis videretur, proposita de iustificatione doctrina Cap. I–V, ne male sententiam eius de hac re intelligant peruersi homines, cauere studet, & scrupulos remouet aduersariorum Cap. VI. VII.

§. III.

Primum quod Capitis sexti commate primo proponitur dubium, ex perperam intellectis verbis, quibus Paulus c. V, 20. vitur, originem suam ducit, & hoc est: quo maiora sunt peccata, eo maior abundat gratia; num igitur in peccato persistamus, vt eo maior se exerat gratia? Hanc obiectionem Cap. VI 1–11. refellit, annexa v. 12–14. adhortatione, ne sibi dominari patiantur peccatum; quia non essent amplius *sub lege* sed *sub gratia*, i. e. quia, quamdiu gratiae expertes & legi vniuersae addicti fuerint, peccato subiecti & poena digni fuissent, siquidem lex non potuisset inerte illis facultatem obferuandi eam. Sed cum Dei gratiam iniissent qui satis illis daret virium, vt voluntate illius conuenienter viuere possent, longe minus se

coram





eoram Deo excusare possent; adeoque propter hanc gratiam ad vitae sanctimoniam eamque pro eo ac deberent exercendam, summa religione essent obstricti.

SCHOLIION. *Sub lege esse & sub gratia esse* sunt dictiones, quae sibi aduersantem habent rationem. Nam *non sub lege esse, & sub gratia esse*, sunt dictiones, quae vnā eandemque habent vim; quod abunde e v. 14. apparet. Quia vero apostolus gratiae statum eam existimari vult conditionem, in qua homini *tum* venia peccatorum conceditur, *tum* vires dantur, quibus perfectus & vere sapiens redditur, ita vt peccatum ab illo sit quam alienissimum, sequitur, in illo qui est sub lege, harum rerum non apparere significationem. Ad primum quod attinet gratiae munus, peccatorum scilicet remissionem, ipse Apostolus, de indole eius Cap. V, 20. 21. disserit. Cum autem Cap. VI, 1—14. adstruat apostolus, id esse hominis, qui in statu gratiae versatur, vt peccato moriatur; ad quod vero efficiendum, homo gratiae nondum particeps non est idoneus: quilibet videt, eum qui in statu gratiae versatur, eas omnino accepisse vires, quae bonis iustisque actionibus patrandis sufficiant: idque est alterum gratiae munus. Alterius dictionis, scilicet, *sub lege esse*, veritas ex oppositi ratione potest cognosci.

#### §. IV.

Accedimus ad secundam, quam Apostolus data opera refurat, obiectionem, quae etiam falsae interpretationi verborum Apostoli tribuenda est. Aduersarius enim alium verbis Apostoli affingit sensum, dicens, *sub lege non esse* intelligi debere de illis qui lege non tenentur, *sub gratia* autem *esse* eos, quibus peccata remissa sunt. Hinc omisso altero, quod ante diximus, adiuncto gratiae, sensu apostoli dure contorto, concludere aude v. 15. quoniam ad ea, quae lege continentur, non obligamur, (i. e. non *sub lege* sumus) sed gratiae abundantia adeo sese exserit, vt licet facta nostra legi sint contraria, nobis tamen condonentur, non est quod caueamus, ne quid libidinosae factum aut cogitatum sit. Quantopere autem haec a mente Apostoli aberrent, satis ostendit in proluxa responsione quam inde ab vltimis versus 15. verbis vsque ad Capitis septimi comma sextum adiecit. Vita, quae ex Deo est, inquit, ornatus, isque quem Deus pro viro bono habet, negat *non-facultati leges obseruandi* obedientiam; vtpote quae sola effecerat, vt antea esset peccatorum seruus. Hinc qui ad meliora rediit, non potest non addicere *facultati obseruandi leges Dei*





obedientiam, quae seruum τῆς δουλίας constituit. Qui vero τῆς δουλειᾶς seruus appellatur, ad id, quod honestum Deoque gratum est, fertur voluntate, eo quod summa illum mouet felicitas, quam Deus voluntatis suae studiosis promittit. Hoc vero studium arctissimam cum lege habet coniunctionem. Hinc iustus *sub lege* est eo sensu, quem adsumis. Si vero dictio *sub lege* esse his circumscribitur limitibus, vt ad eum tantum pertineat, qui in vitae rationem, quam inuit iustificatus, non ingressus, peccato in ipso vigente, libidini indulget: facile vides, eum, qui sacro lauacro initiatus, peccato, eique peccatum, moritur. atque in viam vitae rationi nouae consentaneam, edit, non esse amplius *sub lege*. Ineunte Capite septimo illustrat Paulus Thesin suam exemplo quodam, fini huic aptissimo. Fingamus, inquit, feminam viro in matrimonium datam. Quae, si viuo marito. rem cum aliis habuerit, legem sancitam violat: sed, mortuo coniuge cum alio se coniungere per leges licitum est. Haec similitudo ad hominem Christo coniunctum referri potest. Hic simulac cum Christo viuit, ea lege tenetur, qua non violata societas & coniunctio cum Christo seruat. Atqui haec lex praecipit: vt illecebris peccati nuntium miramus nec amplius in nefas veritum ruamus, quin potius id faciamus, quod in vitae honestate animique puritate (seu quod idem est δουλειᾶς) positum est. Hinc Christo adhaerens homo ἐδυνατώθη τῷ νόμῳ i. e. quia impotentia & ea, quibus actiones vitae flagitiosae continentur, quasi mortua sunt, eae leges, quae re illis adhaerere cogebant, abrogatae sunt; proinde, si cum praua cupiditate rem habeas, adulterium quasi committis, fidemque Christo datam fallis. Si viuitur cum Christo, viuitur honeste, pie, decore, eaque ratione quae ad omnem virtutem est composita. Alia autem omnino est ratio hominis, qui iugo peccati premitur. In illa enim conditione, quae est miserrima, homo viribus ad recte agendum caret & praua libidine impulsus ad legem violandam, admittit actiones, quae propter legem pro peccato habentur. Hinc verum est, lege sublata, omnem hominis huius inferioris conditionis, ob vinculum, quod actiones lege habent, arctissimum, iniquitatem non existeret.



## §. V.

Nouum autem inde oritur dubium, cui Paulus c. VII. 7-12. occurrit. Si lex non adesset, inquit aduersarius, actiones meae non essent peccatini; lex ergo est causa peccati. Ita obiectionem expressam esse videmus Cap. VII. 7. Contra haec Paulus: facile id tibi damus, peccatum non haberi pro peccato, nisi per legem. Sed in ea conditione, in qua nos cum Deo coniuncti viuimus, opera <sup>775</sup> *simulacrum* patramus, quae legi consentiunt, & nisi consentirent cum illa, non essent bona; ideoque in lege est ratio bonitatis eorum. Atque haec ratio in legis natura posita est. Esse enim bonarum actionum normam, naturae legis est. Iam illa opera, ea ratione comparata, sunt fructus ex animo puro prouenientes Deo probati & ad felicitatem producendam perueniunt. Ergo legem obseruare, ad felicitatem nos praeparat. Ex quo apparet 1) in legis natura non esse peccati causam; sed potius 2) eam esse bonam & sanctam. Prouti igitur actiones, quae cum lege congruunt, & felicitatem nobis afferunt & pro recte factis declarantur, ita actiones, quae illi aduersantur, mortem conciliant, & non pro rectis haberi possunt. Hinc ratio in lege sita est, cur actiones sint pravae, cur transgrediens illam sit poena & morte dignus. At qui sit, ut sit earum ratio? itane, ut est ratio bonarum actionum? minime. Bonae enim actiones & malae sunt secum inuicem in oppositis. Cum itaque legis natura spectet ad felicitatem, non potest non esse mortis causa, ut vulgo dicitur, per *accidens* atque non nisi *ocasio* tam illius quam prauarum actionum. Iam vero nos nobis ipsi relictis, atque a libidine quae nobis est innata & nos ad mala abripit, ducti, non nisi malas committimus actiones. Hinc necesse est, ut lex nobis mortem minetur, Cap. VII. 7-12. Peruenimus iam ad illam orationem paulinae partem, quae locum a nobis explicandum complectitur. Occurrit v. 13. obiectio ex antecedentibus deducta. Quae ut eo melius intelligeretur, reliqua dubia eorumque responsiones, tam breuiter, quam fieri poterit, illustrauimus. Facile potest iudicari, quomodo obiectio haec antecedentibus sit annectenda verbis. Obicit enim aduersarius: lege sublata peccatum esse mortuum, seu peccatum sine lege non agnosci pro peccato, adeoque mortem sublata





lata lege non existere. Lex ergo, inquit, efficit, vt actio, quae non quam maxime cum illa consentiat, sit peccatum, & mortem attrahat. Si ergo lex non foret, nullus esset dignus, qui mortis poena afficeretur. Iam vero actiones meae non sunt legi consentaneae. Ergo lex continet rationem, cur actiones meae pro flagitiosis habeantur, mihiq; mortem concilient. Hinc lex, vtut alias sit bona, mihi affert mortem. Haec est obiectio, quam quomodo Paulus diluar, quaeque adhuc de obiectione ipsa admonenda sint, paulo post comonstrabimus.

### §. VI.

Nunc, vt erat propositum, de quaestione quadam differamus, antequam ea, quae ad remouendam aduersarii accusationem Apostolus respondet, illustremus. Iam enim multis abhinc seculis agitata fuit a viris eruditis, alio negante, quod alius affirmat, disputatio super illa quaestione: vtum Paulus de se tamquam regenito loquatur, an non. Non autem quaeritur: 1) an Paulus vocem *εγω* in se vbique transferat, vt regenitum, reduplicatiue sumtum? quod negatur. 2) An Paulus regenitus se ita loquentem inducat, vt pristinæ plane immemor sit conditionis? illius memorem fuisse reperimus e.g. v. 9. 3) An & in obiectione & in responcione Paulus vnam eandemque agat personam? Quod negatur: nam legem vitii accusare, atque, vt aboleatur, optare, non est regeniti. 4) An Paulus in nonnullis commatibus ita loquatur, vt seungat, quod de illo praedicari potest, si eum vt regenitum consideraueris, ab eo, quod est in illo veluti labe affecto? quod confirmare videtur v. 20. 5) An Paulus se ita loquentem inducat, vt nunc sit *homo* regenitus, tamquam totus Paulus, nunc vero *solus* regenitus, excepta prauitatis cupiditate? quod affirmare videtur v. 25. Sed in vniuersum quaeritur: an dictio, quam Paulus ad dubia respondens in se transfert, describat hominem regenitum an irregenitum? Nobis arridet sententia eorum, qui statuunt, regeniti hominis effigiem in tota hac verborum serie, expressam esse. *Primum* itaque veritatem asseri nostri tuebimur per eas locutiones, quae indicant, eum loqui de se tanquam regenito & quatenus fuit renatus. *Deinde* ostendemus, eas locutiones, quae improbum describere videntur, ita se habere, vt, re bene



bene ponderata, in impium quadrare nequeant. Ex quo nos iudicamus fieri, ut Paulum in persona renati hominis dicere intelligatur.

§. VII.

Quod ad *primum* atinet, id ex his nisi fallor, argumentis, perspicitur. 1. Se divina lege delectari *κατα τον εσω ανθρωπον* v. 22. fateatur. Hic *interior homo* est, quod infra demonstrabimus, a Dei gratia sanctificatus animus, atque idoneus ad exercitium virtutum, quibus homines Deo per Christum conciliati se totos tradunt. Haec vero indoles animi certe non est impiorum, sed re-generatorum, quatenus sunt renati. 2. Discernit Paulus legem peccati a lege mentis v. 23. coll. v. 22. & 25. Illa est vitiositas nostra naturalis; haec, interior homo, qui inuoluit eam conditionem quae modo supernaturali producit in regenitis. Iam vero quamdiu nos in statu naturali versamur, procul sumus ab hac, quae supernaturali modo producit, conditione, nec adeo sumus regeniti. Sed Paulus ipse fateatur, se ea bona conditione, modo supernaturali effecta, esse ornatum. Hinc ipse ostendit, se loqui de se ut regenito. 3. Morte dignum se suo ipsius iudicio esse, dicit v. 10. Nam *απεθανον* eam hoc in commate habere significationem, docent, & verba sequentia *καυ - - εις θανατον*, quae praeter hanc verbi *απεθανον* interpretationem non apte cohaerent cum praecedentibus & v. 10. *ελεησονς - - ανεζησον* cognita autem lege peccatum agnoscebam ut peccatum. Colligimus hoc *denique* ex eo, quod Paulus non de progressu in habitu peccandi loquitur, sed de eo, quod de se ipso iudicaturus, in se iam deprehendit. Iam vero disciplinae *Pharisaeorum* adscriptus Paulus confitetur, Phil. III, 6. se *κατα δικαιωσιν την εν νομω αυστηρον* fuisse. Hinc, dum a Christo alienus fuit, se nec morte dignum nec peccato macularum iudicauit. Ergo hoc tantum fecit, cum Christi adnumeratus esset discipulis, hinc qua regenitus. Ad *alterum* quod atinet, locutiones, quae pro iis, qui in contrariam sententiam abeunt, pugna-re videntur, ob characteres illis adiunctos non distant ab hominis renati moribus. Dicit quidem Apostolus se carnalem & sub peccato venditum esse, inde tamen non sequitur, illum hoc in

B

perfo-





persona irrogeniti de se praedicare. Pone, impium hoc cum in-  
 signi animi aegritudine agnoscere, eum poenitere peccati admis-  
 si, eumque ad Christum confugere; pone, esse in illo animi incli-  
 nationem ad recte facta, eum semper pro huius animi indole le-  
 ge delectari, & non nisi inuitum, id quod caro vult, admittere,  
 illi omnino boni rectique cupiditas, quam certe *gratiae divinae re-*  
*geniti* debent, deberet esse innata. Iam vero Paulus moerore  
 commotus ob peccatum, illudque agnoscens, Christo se committit  
 v. 14. 22. 24. 25. coll. v. 23.; & testatur, *tum* se operam dare, ut  
 mentis sanctificatae viribus legem divinam, qua delectabatur, obser-  
 uet, v. 22. 25. *tum*, se *nonnunquam inuitum* eius, quod lex vetat,  
 cupiditati succumbere v. 22. 23. Hinc certum est, eum in his ver-  
 bis non personam irrogeniti, sed regeniti gerere. Faterur quidem,  
 se ad peccata saepius per vim corruptionis naturalis quasi abripi:  
 hoc autem non obstat, quo minus eum in persona regeniti haec  
 dicere statuamus. Quis enim contendere audeat, hominem, quem  
 Deus *gratia* donauit, *semper* officiis Deo gratis vacare? Vt ut ita-  
 que a peccati illecebris sibi non omnino cauere, easque semper vin-  
 cere potuerit, tamen in ipso agnoscimus regeniti imaginem. Por-  
 ro, si causam & rationem, quae hominem morte dignum reddit,  
 tantum ut regenitus perspexit, necesse est, ut peccatum quod actioni-  
 bus eius quasi inhaerebat, non nisi ut regenitus perspexerit.  
 Cognouit autem Paulus tantum Christo coniunctus, quod supra  
 n. 4. diximus, se dignum esse, qui propter peccatum mortis poe-  
 na afficiatur v. 10. Hinc peccatum, quod efficit, ut homo mortis  
 poenam daret, pro eius causa efficiente habuit. Paulum ergo pec-  
 catum, cum esset regenitus, pro peccato tantum habuisse quis  
 non videt? Nam si peccatum ut peccatum ante gratiam vidisset,  
 etiam morte, quam peccatum ad se trahit, se iudicasset dignum,  
 quod propter ea, quae supra de hac re disputauimus, nullo potest  
 admitti modo. Qui vero ante gratiam actiones non habet pro pec-  
 catis, is eas *carnales* esse non iudicat, hinc se *carnalem* esse sibi non  
 persuadet. At vero Paulus se carni obtemperare dicit, sed qua re-  
 genitus, ob rationes ante commemoratas,



## §. VIII.

Aecedamus iam ad ipsam loci explicationem. Proposita aduersarii obiectione Paulus *tum* breuiter ad dubium hoc respondet, *tum* vberius probat sententiam suam disputatione, qua legem a crimine, cuius illam accusauerat dissentiens, vindicare studet. Cum autem aduersarius statuat, legem esse causam, ob quam actiones sint malae, & mortem concilient, adeoque legem tantam esse pestem, quanta fingi possit, existimet, Apostolus *tum* legem esse bonam demonstrat, *tum* verum detegit fontem, e quo prauis motus & malae actiones omnes promanant, hinc in quo sit mortis *vera* causa ostendit. A scrupulo Pauli sententiae opposito ordiamur. Το εὖ ἀγαθὸν ἐμοὶ γέγονε θάνατος; Ergone bonum (lex, quam bonam esse asseueras) mortis mihi causa est? Haec est sententia aduersarii. Paulus enim antea asseruerat, legem esse bonam & sanctam, quamquam non posset non eam transgredientes morte iudicare dignos. Hinc apparet quomodo ex his commemoratis obiectione oriatur & contra legem tendat. Ego transgredior illam, inquit aduersarius; ergo lex mihi est mortis causa, adeoque letifera. Hinc cognoscitur, Paulum sub voce ἀγαθόν intelligere legem. Aliud subiectum certe cogitari nequit, cum sine dubio dissentientis oratio tendat ad legem accusandam. Ea quoque quae proxime sequuntur, abunde ostendunt, Paulum id agere vt legem ab inimici defendat impetu. Hinc obiectione, ad quam Paulus responderet, legem aggreditur; ideoque ἀγαθόν, quod est subiectum propositae obiectionis, legis notionem in se inuoluit. Quisui etiam facili videri negotio, vocem θάνατος mortis causam significare. Simile habemus exemplum v. 7. vbi εὐχρησία idem est ac causa peccati. Ita quoque Christus ait: ego sum vita, i. e. causa vitae. Similem quoque dicendi rationem inuenies I Cor. I, 30. Ad agnoscendam autem hanc interpretationem nos in nostro loco impellit imprimis v. II. Quia lex adest, inquit aduersarius, eam transgrediens ego ad mortem condemnor. Ergo in lege mortis causa est. Tu asseueras, legem esse bonam: ego vero hoc nego. Nam si lex bona esset: mortem mihi adferre non posset. Ad hanc obiectionem responderet Paulus vniuersè *tum* verbis apostolo visitatis *μη γένορτο, ἀβλίτ,*





absit, vt negari possit, legem esse bonam, vtque dici possit, eam mortis culpam sustinere; tum vberius, in iis, quae reliqua sunt hoc in commate, verbis: *ἀλλὰ — — εντολής*. Eū veram peccati causam! Peccatum, inquit, mihi mortis causa est. Verba *ἔμοι γεγόνε θανάτος* repetenda esse putamus. Non enim *ἀμαρτία* referre se potest ad *κατεργαζομένην*, neque hoc a *Φωνῇ* seiungi potest, neque adeo verba *ἢν Φωνῇ ἀμαρτία* in parenthesi poni possunt. Haec enim non est Pauli sententia: quia peccatum nobis necem conciliat, ideo pro peccato habetur atque vt peccatum agnoscitur. Ex Pauli enim sententia peccatum *cognita lege* se cognoscendum praebet v. 7. Atque haec propositio falsa est, quae enunciat; id, quocum mors coniuncta est, pro peccato esse habendum. Neque id, quod tunc demum peccatum esse iudico, cum mortem illius comitem esse perspexero, ante hanc disquisitionem peccatum appellare possum. Tunc demum id esse peccatum existimo, cum mors tanquam *poena* illud sequitur. Hoc autem non nisi ex *lege* cognosci potest. Nihil denique dicam de contorsione, quae verbis infertur. Quod nam vero peccatum vult Paulus intelligi, originale an actuale? Nobis omnino videtur *ἀμαρτία* hic denotare peccatum illud originale seu haereditarium. Nam 1) dicit sacer scriptor, hoc peccatum id efficere, a quo qua regenitus abhorreat, i. e. hoc peccatum esse *rationem* peccatorum actualium. 2) Si v. 22. & 23. inter se conferuntur, apparet, hoc peccatum iam in Paulo esse, cum actionem quandam vult patrare, atque cum Paulus tum bonum appetat, tum malum auerferat, *ἀμαρτία* iam ipsi inest cuius ductu & impulsu in id nititur, quod animus purus & sanctificatus optat esse non factum; adeoque *ἀμαρτία* est detestabilis illa cupiditas, quae omnes in nobis parit actiones condemnandas. Hoc 3) etiam docet v. 8. coll. v. 11. Sicque non dubitandum est, quin *ἀμαρτία* in nostro commate eandem habeat significationem. Nam cum id, quod v. 8. coll. v. 11. *ἀμαρτία* vocatur, omnes animi impuri efficiat concupiscentias, cumque ducat ad vetitum; atque in eo etiam videat causam mortis: id, quod est *μυρτίς*, mortem ad se trahit. Iam vero, cum in versibus, qui nostrum antecedunt, atque in commate 13. *ἀμαρτία* mortem consciscere dicatur; atque commu-

nia,



nia, etiam, si hoc excipias, praedicata habeant: haec vox tum in antecedente tum in nostro loco eadem gaudet significatione. Fac ex te quendam quaerere: quo modo *ἀμαρτία* sit, iuxta Pauli sententiam, causa mortem efficiens? id, quod respondeas, ex antecedente v. 11. quoniam ibi Apostolus suam de hac re sententiam protulit, petas necesse est. Si ergo per *ἀμαρτίαν* eadem res in nostro commate demonstratur, hanc vocem eandem quoque habere notionem necesse est. Nos vero brevitatis causa ab illo adiuncto *originale* abstinebimus. Peccatum ergo causa mortis est, non vero per occasionem duntaxat sed natura sua. Aut lex eius *vera* causa est, aut peccatum. Priorem hoc crimine absolvit Paulus v. 13.; ergo in posteriore eius *vera* causa est & ratio. Neque tertium fingi potest: quia in loco nostro tantum hi duo fontes indicantur, e quibus hoc crimen deduci possit; & Paulus tamen mortis veram contendit indicare originem. Quid autem ex eo, quod peccatum sit mortis *vera* causa cognosci potest? Duo sunt, quae Paulus ex hoc satis firmo principio deduxit, eaque magni omnino momenti. Consectaria haec in altera commatis nostri parte his includit verbis, *ἡν φωνή* — — *ἐντολῆς*. Primum quod inde cognoscimus, his complectitur verbis: *ἡν* — *θανάτοις*, quorum hunc esse putamus sensum: ut itaque, seu adeo ut appareat, peccatum gignere mortem, cui lex nihil nisi occasionem suppeditat. Alterum hic verbis significat *ἡν* — *ἐντολῆς*. Mens sacri scriptoris eo redit: cognoscitur etiam ex eo, peccatum, si lege illud metiaris, longe esse flagitiosissimum ac pestilentissimum. Paulum unam eandemque rem descripsisse his duabus dictionibus, quae vox *ἡν* disiungit, mihi non videretur. Altera enim dictio eo recidit, ut, legem non esse mortis veram causam sed occasionem, ostendat; altera vero, ut peccato esse nihil dereferabilis, nihil deterius demonstrat. Sed ad priorem huius orationis partem pluribus exponendam antea me accingo, quam posteriorem illustrandam eam. Vocem *ἡν* ita reddidi, ut sit, *adeo ut*, seu *itaque*. Vfus loquendi non abhorret ab ista vocis significatione, quod cognosci potest 1) ex Galat. V, 17. *ἡν μὴ ἂν θέλητε ταῦτα ποιῆτε* *adeo ut* *ἀν θέλητε ταῦτα ποιῆτε* 2) ex Rom. V, 21. Argumentum huius





cominatis ex antecedentibus proficiscitur. Paulus enim ita ratio-  
cinatur: vt per inobedientiam vnus hominis nos (licitum sit mihi  
*πρωτοι* ita reddere) pro peccatoribus habemus; sic per obedienti-  
am vnus pro iustis iudicatur. Atque lex eum in finem accessit  
& promulgata est, vt peccata etiam a nobis ipsis commissa agno-  
sceremus, vtque videremus, nos non solum propter peccatum A-  
dami morte dignos esse, verum etiam propter nostra ipsorum pec-  
cata, sicque excellentiorem atque praestantiorum ostendere sese  
gratiam. His expositis sic pergit Paulus v. 21. Adeo vt, quem-  
admodum omne peccatum vim suam exferit; vt tradat nos inter-  
necioni; sic gratia eam praestet vtilitatem, vt, habita Christo fide  
quamquam *nostrorum* peccatorum moles ipsa nos ad tartara de-  
trudat, nobis tamen pro iustis declaratis ad vitam cedat semper-  
nam. Ex his itaque apparet, particulae huic *ita* a scriptore no-  
stro aliis quoque in locis hunc significatum tribui, vt idem sit ac  
*adeo vt, ergo, itaque*. Quam vocis significationem etiam firmabunt  
loca illa Rom. III, 19. IV, 16. Eandem vim quoque habet *ita* in  
iis locis, vbi id factum esse commemoratur, quod vates praedixe-  
rant, veluti Matth. II, 15. *ita* *πληρωθη* *adeo vt* impleteretur. Quod  
autem *ita* in nostro loco eundem habeat significatum, & neque si-  
nem neque intentionem indicet, omni dubio maius esse existimo.  
Alias enim hic extorqueretur sensus: peccatum mihi eum in finem  
contraxit interitum, vt pro eo *agnoscatur*, quod mihi legis occa-  
sione mortem adsciuit. At vero 1) peccatum mihi non est morti-  
ferum ob eam causam, vt *agnoscatur* illud propter legem me neci-  
re. Hinc 2) si verba isti subiecta essent interpretationi, Paulus non  
satis bene defendit sententiam suam. Ita enim ostendere debuisset,  
legem omnino non esse mortis veram causam, idque agendum fuis-  
set, ne ipse posset obscuritatis accusari, ex qua quis falsitatem su-  
spicaretur sententiae. Sed de his satis. Verba *ita* *τε* *αγαθη* idem  
sunt, quod occasione legis. Hanc interpretationem confirmat v. 8.  
coll. v. 10. Lege cognita peccatum dicit *ansam* praebuisse prae-  
factis, quae mortem attraherent. Vt ergo peccatorum, sic & mor-  
tis causa est. Cuius interpretationis exemplum nos inuenimus quo-  
que in verbis Rom. II, 24. vos idolorum cultoribus occasionem praeb-  
etis



betis &c. Vniuersae igitur sententiae hic est sensus: quia *peccatum* efficit ut morte plectamur, sequitur, *legem* non esse illius veram causam, sed non nisi illius occasionem. E supra dictis enim liquet, consentire legem cum nostra salute atque esse bonam. Ergo in illa non potest esse mortis causa nisi per accidens, ut cuiusdam dedimus supra §. V.

§. IX.

Pro vbertate ingenii, & qua flagrabat cupiditate, veritatem ab omni erroris specie vindicandi, & dignitatem argumenti de quo loquitur, Lectoribus ob oculos ponendi, nouum, idque alterum (§. VIII.) ex responsione sua deriuat confectarium, quod in vltimis versibus 13. verbis ita proponitur *ἵνα — — — ἐντολῆς*. Vilitatem depingit, quam lex nobis illam recte intelligentibus, praestare potest. Ab vsu loquendi, ut existimo, non recedunt, qui *γινώσκω* hoc loco ita explicant, ut idem sit ac *agnoscor*, seu *iudicor*, vtque sententia horum verborum haec sit: patere illis, qui intelligunt, peccatum esse veram mortis causam, quantopere ἡ ἀμαρτία sit ἀμαρτωλός. Hunc significatum reperimus 2 Cor. V, 21. *ἵνα ἡμεῖς γινώσκῶμεθα δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν αὐτῷ*, qui locus me quidem iudice, verti debet: ut a Deo propter Christum pro iustis habeamur; atque etiam Rom. III, 19. Adde 1 Cor. IV, 13. Voces καὶ ὑπερβολὴν aduerbium exprimunt & maiorem vim addunt nomini, quocum combinantur. Id quod cognosci potest ex 2 Cor. IV, 17. 1 Cor. XII, 31. 2 Cor. I, 8. Gal. I, 13. quorum primus indicat locus, hac loquendi ratione *superlatiui* significationem maxime augeri. Quod autem ad vocem ἀμαρτωλός pertinet, nos iis, qui Profopopoeiam hoc loco sibi fingunt, non adfenuimur, licet ἀμαρτωλός in aliis locis personam denotat atque καὶ ὑπερβολὴν & cum Verbis & cum Substantiuis coniungatur. Cum tamen res non tanti sit momenti, non necesse putamus, ut eorum multis refutemus opinionem. Vox ἀμαρτωλός hoc loco ex mente nostra consequentiam potius peccati describit, quam ipsum peccatum, ita ut sit idem ac *thortiferum*, seu, quod damnum & mortem infert. N m Pauli non nisi haec esse potest cogitatio: quia peccatum in nos iram concitat diuinam, apparet, peccatum nobis maximum inferre damnum. Sed de verbis *διὰ τῆς ἐντολῆς* dicendum erit ante, quam





quam sententiam nostram quodam corroboremus argumento. Veri quidem possunt verba *δια της εντολης*, vt idem sit ac *occasione legis*, quippe cum praecepta legis occasionem nobis suppeditent, cognoscendi, quam sit perniciofa indoles peccati. Cum autem lex huic fini non inseruiat, nisi quatenus cognoscitur, existimo, sensum verborum *δια της εντολης* posse ita exprimi, *cognita lege*, seu si lex bene intelligitur. Eandem interpretationem deprehendimus locum habere Cap. III, 20. in verbis: *δια γαρ νομης επιγνωσις αμαρτιας*. At qui sine cognitione legis eiusque intelligentia nulla datur *αμαρτιας* cognitio. Cumque v. 7. capitis nostri eadem locum habeat interpretatio, & legis cognitio in Paulo produxerit poenarum sceleribus dignarum sensum; lege autem cognita *αμαρτια* ipsum ad pessima quaeuis tulerit praecipitem, atque dissentiens ex hac disputatione scrupulum deduxerit, facile est iudicaru, nostram interpretationem ab vniuersa Pauli disputatione & mente non esse alienam, qui sine dubio ea, quae de legis bonitate dixerat, se recte habere demonstrare vult, affirmans, ideo legi non posse labem adspergi, quia, illa cognita. praua sit concitata cupiditas. Quae interpretatio nobis eo magis arridet. quoniam in priore huius orationis parte legem, natura sua, mortis veram esse causam iam *vniuersè* negauit. Quo circa *γνωσθαι* per vocem *cognosci* vertendum putamus, vt ille inde sensus exsultet: quia *peccatum* nobis mortem conciliat, sequitur, vt legis cognitioni proxima mortis causa non adhaereat, vtque potius cognita demum lege & recte intellecta appareat, peccatum esse monstrum perniciosissimum. His expeditis ad vocem *αμαρτωλος* reuertamur, nostram corroboraturi sententiam. Cum Paulus Cap. III, 31. legem eam ob causam imprimis laudibus efferat, quoniam illa cognita nos morte dignos iudicamus; adeoque vox *αμαρτια* potius de consequentia peccati quam de ipso vitio intelligenda sit (coll. v. 20.); & Paulus in nostro loco legem eandem ob causam laude dignam esse pronunciet, quiuis videt, nos a scopo Pauli non aberrare, si vocem *αμαρτωλος* magis consequentiam rei, quam rem ipsam indicare statuimus. Id quod etiam confirmat, quod paulo ante de v. 7. asseruimus. Sic etiam *ημαρτιωος* Gen. XLIII, 8. cap. XLIV, 32. & *αμαρτωλος* I Reg. I, 21. Rom. V, 19. adhibetur, vt magis



gis consequentiam peccati, quam peccatum ipsum exprimat. Vniuersae igitur propositionis huius hic est sensus: lege non existente, nec existeret peccati agnitio, nec quam tibi afferat perniciem, fatis videres. At vero lex tibi aperit oculos; vides praemia omnipotentis maiora, quae Deus legem obseruanti promittit. Quo fit, ut cognita conditione abominanda, in quam peccatum te deduxit, quam ardentissime ad salutem, gratia Dei opitulante, adspires. Legis ergo vera intelligentia nobis maximam praestat vtilitatem.

## §. X.

Hactenus vniuersae dixit Paulus contra dissentientem. Nunc vero vberius sententiam suam exponit v. 14-23. Atque primo bonam esse legem, se vero a natura peccato venditum demonstrat v. 14-16. Quam propositionem nos inuenimus v. 14. *ὁδὸν ἡμῶν* — — *ἀμαρτίας*. In priorae propositionis parte, quae vsque ad *ἐστὶν* extenditur, necesse est, ut in significationem verbi *πνευματικός* studiose inquiramus. Meo vero iudicio Apostolus non vult intelligi hac voce internam hominis conditionem, quae alias ad legem requiritur implendam, neque legis auctorem innuit, sed legem perse considerat, ut itaque *πνευματικός* hoc in loco idem sit ac *sansus, bonus, perfectus*. Primum igitur hanc vocis significationem ex vsu loquendi Hebraeorum commonstrabo; deinde & hic locum habere ostendam. Quod ad primum spectat: persaepe *σὰρξ* & *πνεῦμα* sibi opponuntur. Illud denotat quod imperfectum & debile est, & virtutibus requisitis caret; hoc, quod perfectum & bonum est. Quae perspicui potest vis vocabulorum ex verbis Ies. XXXI, 3. Aegyptiorum equi sunt *caro* non *spiritus*. Si contextum consulas; non difficile cognosces, habere voces sensum translatum. Vae vobis Iudaeis, inquit vates, ab hominibus magis, quam a Deo auxilium petentibus. Vos Aegyptiorum auxiliis exornati atque equorum illorum copiis stipati non proffigabitis hostem; nam Aegyptii sunt homines, non Deus, eorumque equi sunt *caro* non *spiritus*. Hinc nomine *carnis* propheta insignit equos, quia auxilio praestando, quod inde sperabant Iudaei, prorsus erant impares. Negat esse *spiritus* propheta, quia, si spiritus essent equi, fatis forent idonei ad respondendum Iudaeorum optatis & fiduciae in illis colla-





collocatae. Vocis *carnis* itaque adhaeret idea imperfecti, minus idonei; voci autem *spiritus* idea perfecti, boni, idonei. Nam equi non consentiunt cum intentione Iudaeorum eorumque proposito; hinc sunt *caro*: si vero consentirent, essent *spiritus*. Eadem ratione confirmat sententiam nostram Genes. VI, 3. *quia homo caro est*. Quae verba ita sunt interpretanda: quia homo non perstitit in *perfecta* sua & bona conditione, sed iam versatur in omnium pessima: *caro* est, seu *imperfectus* & minus idoneus ad Dei voluntati obtemperandum. Eodem modo *σαρξ* ideam *imperfecti* inuoluit Col. II, 18. Sic etiam I Cor. III, 1. vbi *σαρκινος imperfectos*, *πνευματικος* vero *perfectos* Christianos describit. In N. Test. etiam *σαρξ* ita opponitur τῷ πνεύματι, vt *σαρξ* malam & deteriorem hominis; *πνεῦμα* vero meliorem illius partem denoter. Rom. IX. Ioh. III, 6. Galat. V, 16. 17. Iam meum est demonstrare, hanc significationem hic habere locum. Id quod docet 1) v. 12., vbi Paulus honorifice de lege praedicat, quam sancta, quam iusta, quam sit bona. Quae praedicata conuenire legi, Paulus in sequentibus vult demonstrare. 2) Obiectio. Dissentiens enim, legem sibi damno, ideoque *imperfectam* esse, contendit. 3) Consilium & intentio Pauli, hunc errorem profligantis, affirmantisque sententiam suam omnino stare, quam v. 12. de lege dixerat. Quod per sequentia fulcire illi est propositum. Ergo per ea quae sequuntur, vult docere, legem esse perfectam & bonam. 4) Vtitur v. 16. Paulus voce *καλος* pro *πνευματικος*. Quas voces vniam eandemque hic habere significationem testatissimum est, quia v. 16. est ratiociniū conclusio & repetitio demonstrandi. Scimus, inquit apostolus, legem esse bonam. Scimus, legem omnia ea habere adiuncta, quae v. 12. commemorauimus; scimus, legem ad vitam perducere sanctissimam; scimus, eam nos docere, perniciem nostram euitare; scimus igitur, legem esse bonam.

### §. XI.

In posteriore autem propositionis membro euoluendo antequam occupati simus, notandum erit, Paulum in se vidisse *duas*, vt ita loquamur, lubidines; alteram ad bona, alteram vero ad mala impellentem facinora; ita vt nihil inter se haberent commune. Altera in *carne* sita est; altera in *interiore homine*. Quarum igitur alter-



alterutra si toti Pauli personae tribuitur, de vna alteraue parte intelligendum est. Iam verba ipsa indagantibus primum occurrit vox *σαρξινος*. De ea quidem iam ante disputatum fuit, sed hoc loco notamus, vniuersalem huius vocis ideam, si de homine adhibetur atque bonae illius conditioni, qua, fide apprehensa, vi sancte viuendi pollet, opponitur, magis restringi. Sic enim denotat imperfectiorem *innatam*; seu omnimodum virium naturalium defectum ea agendi, quae nos, vi Sp. S. instructi, valemus; seu impotentiam nobis innatam voluntati Dei conuenienter agendi, & nisum ad patrandum, quod Deo displicet. Hoc nos docet Ioh. III, 5. 6. vbi Christus Nicodemo dicit: nisi qui per aquam & spiritum sit regeneratus, in regnum Dei introire potest nemo; non potest esse cum Christo coniunctus, nec, gratia destitutus, voluntati Dei conuenienter viuere potest. Hinc homo, viribus, quas a natura habet, relictus, nec vi supernaturali instructus, actiones ad legem diuinam conformare haud potest. Ideoque in natura ipsius inest impotentia id faciendi. At non solum impotentia, verum etiam procliuitas ad *male* agendum. Nam qui carni fauent, procul dubio & lucem fugiunt; qui vero lucem fugiunt, non ad recte sed praue facta adnituntur. Ioh. III. 19. Hinc carni indulgenti prauorum est facinorum cupiditas. At haec impotentia atque cupiditas nobis non est innata; sed natura nostra prauorum exemplorum imitatione corrupta est. Hanc obiectionem reiicit v. 6. το γεγεννημενον εν της σαρκος. Hic loquitur Christus vniuersae, nullam hominum aetatem excipiens. Quam vniuersaliter etiam docent sequentia verba γεγεννημενον εν τε πνευματος, vbi nemo, quantum ego quidem scio, est qui restrictionem admittat, nec potest. *Omnis* itaque homo vt nactus est naturam *σαρξινος* i. e. non idoneus ad ingrediendum in Dei regnum. In omni ergo homine est defectus virium isque illi innatus agendi ea, quae voluntati diuinae sunt consentanea; atque illecebrae, peruersae atque inique se gerendi. Hinc si tibi hominem fingis gratia Dei non gaudentem semper illud *σαρξινος* seu haec imperfectio est in illo cogitanda, ita vt illam descripsimus. Si itaque ideam *σαρξινος* in homine concipimus, denotat defectum virium illi innatum ea agendi quae Deo placeant, atque cupiditatem ingentiam earum actionum,





quas Deus detestatur. Hancce notionem cuiusque quoque locus noster. Paulus enim concludit v. 16. quia id facio quod non volo, idque, quo non delector, hoc ipso restor, legem esse bonam, sicque significo, me voluptate legis diuina capi. Sed lege diuina tantum delectabatur quoad interiorem hominem v. 22. Hinc quod volebat, quo permolebatur, eo delectabatur, quatenus vi supranaturali erat ornatus. Nam infra demonstrabimus, interiorem hominem esse *animam, quae vi supranaturali est donata*. Sed v. 15. hanc innuit concludendi rationem: quia id non faciebat, quod tamen quatenus erat vi supranaturali instructus, velit perfici, & alia cupiditate in longe alia ferebatur, propterea se esse *σαρκινος*. Vi ergo supranaturali instructum esse, & *σαρκινος ενος* sibi aduersantur. Hinc quod quis facere atque expetere potest, quatenus pollet vi diuina, non potest, quatenus est *σαρκινος*. Iam quatenus Spirit. S. illi impertit vim supranaturalem, ea quae lex diuina exigit, potest facere atque ad id anhelat. Ergo quatenus est *σαρκινος*, neque legi studere potest, nec eam appetit. Hinc *σαρξ* est tam defectus virium ea agendi, quae lex diuina postulet, quam nisus ad id, quod lex prohibeat. Haec facultas voluntari Dei conuenienter agendi cum veniat a vi supranaturali, &, quatenus illa homo gaudet, ea velit, quae lex praecipit, eaque possit velle, & haec omnia sunt opposita *τη σαρκι*: id, quod *σαρξ* vocatur, venit a natura. Hinc eatenus non potest vquam, hinc nec vlla hominum aetate, facultas ea appetendi, quae lex praecipit, in homine sibi ipsi relicto cogitari, sed potius conatus ad ea, quae sunt a lege aliena. Ideoque quod caro nuncupatur, est innatum. Hanc notionem etiam tuetur Rom. VIII, 7. 8. Paulus enim ostendit, eos, qui propter Christi meritum velint, vt Deus ipsis sit reconciliatus atque amicus, non in id nisi oportere, quod *caro* expetat: quia carnis contentio Deo sit inimica atque odiosa. Atque hoc in aeternum aliter docet fieri non posse, quia caro se ad legem Dei neque accommodat, neque potest. Eos autem, qui motibus *spiritus* excitati sunt, legem Dei posse ex animo sequi asseuerat, eosque operam dare debere, vt id adsequantur, ad quod *spiritus* alliciat, idque fugiant, ad quod caro flectat. In illa agitur collocari conditione, in qua caro nobis imperat, nobis inest im-



impotentia legem colendi diuinam, atque cupiditas maligna eaque *innata*: nam nullo modo poller caro ad legem exercendam vi necessaria, neque nisi ipsius (το Φρονημα) vilo modo numini placet diuino. Si is non esset oraculi Paulini sensus, sententia eius flare non posset; quia homines, ad quos dat epistolam, peccandi habitum, qua gaudebant vi diuina, imminuerant, neque tunc temporis ad impiorum exemplar mores componebant, sed legis implendae vehementissimo tenebantur ardore. Hinc potentia naturalis, quae hactenus coerecebatur, erigere se poterat vimque suam exferre. Hinc, si quid polleret potestatis recte agendi, se legi diuinae submittere potuisset; atque homines, vi, quae in sola esset natura, vtentes, Deo fuissent grati & accepti. Quodsi ita est: nonne sententia Pauli omni vi probandi destituitur? nonne erroris Apostolus insimulandus est? Verba itaque ἐγω σαρκικος εἰμι ita reddenda sunt: si naturam meam, eiusque vires eiusque molimina contemplor, video illam esse plane corruptam idque a prima inde origine, neque idoneam ad ea praestanda, quae lex bona postulat; sed ad pessima quaeuis in illa deprehendo lubidinem, cui etiam qua regenitus interdum innitus obtempero. Atque σαρκικος in nostro loco, cum significare non potest regenitum, qui neque in doctrina, quam proponit religio christiana, neque in actionibus, quibus vita Christo additi continentur, ita profecit, vt homo perfectus appellari queat. Hanc enim interpretationem tam resellunt sequentia verba πεπεραμενος ὑπο την ἀμαρτιαν; quam ipsa Pauli sententia; quae neque requirit, vt eum, quem paulo ante descripsimus, regenitum fingamus, neque omnino eam patitur interpretationem, quia quatenus se σαρκικον faterur, se lege diuina non delectari, sed eius capi voluptate quoad *interiorem hominem* declarat. Neque illum describere potest interpretatio, quam σαρκικος in nostro tuetur loco, hominem, qui in loco isto Rom. VIII. cogitari potest. Nam in quo, iuxta huius capituli oraculum est το Φρονημα της σαρκος in illo non omnino est το Φρονημα τε πνευματος. Hinc duo fingi debent homines, seu subiecta. In altero nullum neque Dei neque diuinae legis studium inuenitur; in altero vero feruor Deo placendi eiusque legi obsequendi. In nostro autem loco *vnus* ho-



mo tantum fingi potest. Hinc vox *αἰσχυρός* aliam hic sibi vindicat interpretationem. Atque ex hoc videre licet, Paulum pravae cupiditatis nobis ingentiae effectus tantum *per se* considerare, atque eius imperio, non voluntate neque libenti obedire animo. Vt autem eo magis forma illius atque facies ab aduersario cernatur detestanda, eiusque tyrannis cognoscatur, cum nihil nisi nostram sitiar *mortem*, non pudet fateri, se aliquando etiam qua regenitum vinci a tyranno hoc crudelissimo. Paulum autem non nisi hoc indicare velle, se *interdum* concupiscentiae succumbere, & ex eo quod diximus & ex §. VII. & ex eo cognoscetur, quod de hac re non paulo post differemus pluribus. Eademque ratione exponenda sunt verba *πεπραμένος ὑπο τῆν ἀμνηστῶν*. Haec locutio originem debet Veterum consuetudini, qui homines emebant, ut eos haberent pro mancipio. Qui venditus erat seruus, non erat sui dominus, sed quodcumque iubebat emtor, facere cogebatur. Sic, inquit apostolus, si ad pravae cupiditatis vim & tyrannidem attendo, animi dolore video peccati imperium tantopere in me fauere, ut naturae viribus ad debellandum hoc aggressus, semper succumbere cogar, semperque mancipii instar voluntate eius coërcer, ut quasi ad tartara deiectus esse videar. Quin etiam qua regenitus eius vehementiam non semper frangere nec eius iugum plane excutere possum. Inuenitur haec locutio 2 Reg. XXI, 20. 25. Ies. L, 1. ubi homo describitur, qui *voluntate* peccato se submittit; sed hanc significationem admitti hic non posse, satis commonstrant commata sequentia. Quod etiam a nobis dissentientes nequeunt negare: nam hominem iudacum fingunt, qui quidem *voluntate* legis studeat operibus, sed inuitus atque coactus a peccato ad prava facta abripiatur.

### §. XII.

Iam, thesi proposita, ad vberiore argumenti accedit illustrationem v. 15. 16. Hoc enim sibi habet apostolus propositum, ut legem bonam esse demonstrat. Quod ut efficiat, se nonnunquam ea peragere fatetur, quibus non delectetur, & quae non apperat ex animo. *Ὁ γὰρ κατηργήσομαι* inquit, *ἔγνωσκω*. Quae enim facio nullo modo approbo. Notamus hoc loco, verbum illud *κατηργήσομαι* non ad omnes Pauli actiones extendendum, sed ad nonnullas  
 carum



carum refringendum esse, quod *tum* ex praecedentibus, *tum* ex iis, quae sequuntur, apparet. Non peccabimus itaque, si verba haec ita exprimimus: quod enim *nonnunquam* facio, non approbo (\*). Hancque vocis interpretationem hic adsumi debere, *tum* ex §. antecedente, *tum* ex cap. VIII., coll. cap. VII., 25. colligitur; nam illud *αγα* clare demonstrat, orationem Cap. VIII., 1. seq. referre se ad antecedentia. Locutiones vero *κατα πνευμα περιπατειν*, cap. VIII., 1. & *δελεθει το νοι νομο θεα* cap. VII., 25. seu *κατα τον εσω ανθρωπον* cap. VII., 22. sunt dictiones identicae, si primariam sumas earum notionem. Iam! vero homines, qui *κατα πνευμα περιπατειν* dicuntur, iuxta huius capitis VIII. sententiam, non ii esse possunt, qui *semper* & ex voluntate agant *iniquè*; nec vero ii, qui *semper rectè* agant, & perfectam legis *divinae* adsequantur impletionem. Quod si ita esset, non video, cur Paulus ea adiciat, quae imprimis v. 33. & 34. coll. v. 26. inveniuntur. Gaudet quidem summo legis divino studio; viget quidem in ipsis conatus obsequendi mandato: sed tamen tantum abest, ut eo pervenirent perfectionis, qua suam ipsorum de se gloriaentur iustitiam, ut potius multa in iis offendantur, quae illos vitii & mortis reos agere possint. Ergo qui lege delectatur quoad *interiorem hominem*, qui legem *mente* colit, non *semper* ea a natura produci patitur, quae *mente* averfatur. Quae vero *nonnunquam* facere fateatur Apostolus, (puta, quae carnis sunt coll. v. 23.)  
ea

(\*) SCHOL. Haec interpretatio non abhorret ab usu loquendi; nec aliter voces in hoc loco possunt explicari. Sufficiat unum huius rei exemplum nostrae interpretationi adhaerere. Invenimus Rom. VIII., 26. *εμ οδωμεν*, quod hoc loco non aliter reddi potest, nisi: *nonnunquam* non scimus. 1) Nam facile est cognoscere, Paulum de eo loqui tempore, cum Christiani gravissimis premuntur calamitatibus, ut animo praedolore perturbati quid agant, quid dicant, scire nequeant. Atque 2) si nullum tempus excipias, christiani nunquam eorum sunt consilii, quae cum Deo loquuntur. Paulus enim ita argumentatur: quoniam nos non scimus, quas preces & quomodo fundamus, spiritalis ille sanctus pro nobis supplicat *ερωμοις αλαλητοις*, i. e. gemitibus, quos neque agnitos neque perspectos habemus. 3) Perhaepe sciunt Christiani, quid & quomodo orare debeant. 4) Ipse docet apostolus multis in locis, quae & quomodo verba Deo faciamus precantes. 5) Neque Paulum neque ceteros Christianos fugiebant regulae, quas Christus nobis tradidit precaturis.





ea se nullo modo *approbare*, nec *studio* nec *voluntate* facere testatur. Hanc esse vim verbi *γνωσκων* existimamus, quod non modo permittit hanc significationem sed eam quoque hoc loco acceptam habere debemus. Eodem in significato saepissime adhibetur vox hebraica *ערי* in sacro codice V. T. & plura in hanc rem excitari possent loca, e quorum magna copia haec tantum nostra facimus Genes. XVIII, 19. & Pl. I, 6. Haecque significatio in multis N. T. locis obtinet ut Ioh. XVII, 3. Matth. VII, 23. Hoc in loco autem ut voci *γνωσκων* eum tribuamus sensum, nos mouet maxime, quod, si *γνωσκων* nihil aliud esset, ac cognoscere, sine auctario, haec verba non consentiant cum Pauli consilio, eoque quod demonstrandum erat. Quis enim sic argumentaretur, quia inscius aliquid ago, ego sum *σαρμωτος*? Multa omnino, quae recta sunt, a me illorum mihi non conscio, efficiuntur. Etsi animus noster esset integerrimus, nec vlla macula pollutus, ea tamen se gereret ratione, ut multa a se prodita clare non agnosceret; nec inde posset conici, illum esse *car-nalem*. Nec me quidem iudice inde oritur locutio identica, si modo verba sequentia *ε γαρ — — ποιω* ita considerare placeat, ut, quae ante dicta erant, corroborent. Quae facio, inquit, non probor. Vnde hoc apparet? quia id quod appero, hinc quod probor, re diuino lumine expensa, non efficio, sed id, quod auerfor, peragitur. Verbis ergo sequentibus *ε γαρ — — ποιω* propositionem probat atque illustrat Apostolus, quorum verum sensum paucis adhuc explanatum ibimus. Cum ego regenitus ad me attendo, sine multa & difficili inuestigatione cognitum & perspectum habeo, me ea, quae mens diuina expetit, non omni tempore peracta inuenire. Cupio enim Deo pergrata patrare opera *της διασεουνης*, quae ad legem componere me oportere, mihi non solum persuadeo, verum etiam ad legem, illa magnopere delectatus, sequendam, ea nitor animi contentione, ut, licet nonnunquam contentione cedat ipsi inimicae, nunquam tamen me deserat, nec vnquam vi ipsius plane sum orbatu: namque tum etiam, cum carnis illecebrae mihi blandiuntur, ad meliora me desistere conatur. Hinc vero sequitur 1) mihi, cum ita sim animo affectus, ea non esse probata, quae carnis in me efficit impetus. 2) In lege eiusque natura nihil esse, quod



quod peccato aulam praebeat, sed potius in illa observanda summam colloco felicitatem. Cum itaque 3) neque lex incurrat criminatorem, neque animus Deo diuinaeque legi addictus prava velit perficienda opera, omnes dirae cadunt in tuam naturam corruptissimam. Huius vehementia execrabilis & tyrannis atrocissima, ut cum maiore cognoscatur animi horrore, ego ostendi, eam, quamuis excellens sit regeneratorum animus, nonnumquam tamen bonorum operum cupiditatem vincere. Lex ergo nullius omnino potest accusari vitii. Nam εἰ δε ὁ εὖ φελο — καλος, si, quae detestor, quae auerfor, quae regenitus, nonnumquam in me peracta video, ipse testor, legem esse bonam. A quibus enim abhorreo, haec mihi mala inferre iudico; quae appeto, haec salutem mihi existimo afferre. Iam omnia auerfor, quae caro, atrox mihi iniungit tyrannus, hinc omnia eius molimina capitalem mihi adsciscere pestem maxima confiteor animi persuasione. Ad recte facta autem summo anhelo animi imperii, quoniam Deo meo placent summaque abundant felicitate. Num vero recte facta fingere potes, nisi illa cum lege, lex cum illis, consentiat? Nonne ergo maximam tibi lex suppetit vilitatem? Num quo minus eam bonam & sanctam appelles potes recusare?

### §. XIII.

Sequitur altera pars tractationis Paulinae. Haec enim probauit Apostolus, legem diuinam esse bonam, eamque ab omni vindicauit accusatione. Ut vero eo melius, legem diuinam non esse causam peccati vel mortis, intelligatur, veram malarum actionum legem seu rationem, a qua actionum prauitas dependet, accuratius declarat v. 17-23. Primum itaque demonstrat, ἀμαρτιαν prauas parere actiones & motus libidinosos v. 17-20. Deinde autem inde arguit, ἀμαρτιαν esse animi molimium a lege diuina alienorum legem, verumque fontem. Primum illud ita proponit v. 17. *ἡ νόμι δε — ἀμαρτια*. Vox *νόμι* describit statum Pauli praesentem, atque se refert ad illud *πότε* v. 9. Sic multis in locis *νόμι* indicat statum regenerationis, *πότε* vero statum in quo est homo a gratia alienus. Ex quo certe oritur suspicio, Paulum de se loqui ceu regenito, sicque vis & pondus nostrae accedit opinioni (§. VI.). Paulus autem praeter illud consilium, quod iam declarauimus, hoc sibi habuisse propositum

D

mih





mihi videtur, vt nouae occurrat aduersarii obiectioni. Dixerat enim supra, se qua regenitum etiam non ab omni animi labe esse liberum. Ne autem aduersarius suspicetur, Apostolum, qua regenitus erat, prauae indulgere concupiscentiae, his verbis, quae explicatum imus, studet cauere. In illa autem, inquit, conditione, in qua nunc Dei gratia sum positus, ἐγώ, i. e. ego, quatenus sum regenitus, *ὅτι ἐπι κατεργαζομαι αὐτο*, scilicet illud, *ὃ ἐ γινωσκω, ὃ ἐ θελω*. Vox ἐγώ spectat tantum ad Paulum cū regenitum, non ad totam Pauli personam. Colligimus hoc 1. ex Particula ἐπι voci ἐγώ addita. 2. ἀμαρτιαν praua dicit producere. Ego qua regenitus, hoc non facio, sed ἡ ὁμιση ἐν ἐμοι ἀμαρτια, praua illa cupiditas mihi ingenita, quae semper in me viger, (vid. Cap. VIII, 9. vbi ὁμιση eandem tenet significationem) neque me deserit, quoad ego sum in hoc corpore inclusus. Hancce veritatem tam v. 18. quam v. 19. 20. per experientiam confirmat. Primum itaque v. 18. paucis illustrabimus, *ὁδα γαρ — ἐν ερισκω*. Nobis illud ἐν τη σαρκι με non corpus Pauli sed naturale hominis, eumque corruptum, statum denotare videtur. Alias enim 1) haec locutio dura esset atque admodum translata. At Synecdoche adest! Quid autem est, quod per figuras rem explicemus, quam proprie interpretari possumus. 2) Non video, qui Paulus haec omnia, quae in sequentibus enarrat, possit corpori attribuerē, deque illo loqui, cum tamen ea in antecedentibus corruptioni, naturae insitae adscripserit, eamque per vocem σαρεξ expresserit. Id quod 3) etiam docet v. 15. vbi σαρκικός non idem erat ac corporalis; sed corruptum Pauli & peruersum naturae statum significabat. Verba Pauli, *non habitat in me bonum*, id, me iudice, sibi volunt: est in me non modo non-facultas bene agendi, sed etiam male agendi cupiditas. Nam non nisi hoc modo Pauli sententia recte se habere potest, qui ita argumentatur: quoniam in me, quatenus naturae meae indolem, quae pessima est atque corruptissima, contemplor, nullam facultatem recte agendi sed cupiditatem impie me gerendi video: apparet, omne quod ago malum, ἀμαρτιαν efficere, nullo vero modo a piae mentis proficisci natura. Nam (liceat mihi paraphrasi quadam verba το γαρ — ἐν ερισκω exprimere) quatenus purioris mentis obsequor arbitrio, me ad recte facta, habes paratissimum. Me tamen nonnunquam aliter agere, proh dolor! inuenio. Quod vero si ita est, non erit dubium,

quid



quin in natura mea non sit, quod ἀγαθόν vocavi. Quantus enim ardor in mente labis pura est legi obtemperandi, eiusque dulcia praemia, recte agenti promissa, assequendi! Si itaque naturae nostrae instinctus etiam eo fenderent, nunquam in me maculae conspicerentur fordidissimae. Sed natura talis in me non est. Semper illa sanctitatis studio obnititur, immo, quod stuporem iniicit, fructum nonnunquam producit. Το γὰρ θελεν παρακεταί μοι, (ne haec illustratione omni careant) indicat, Pauli firmam & stabilem voluntatem, qua ad recte agendum ferebatur, quae, licet modo fortior esset, modo imbecillior, nunquam tamen penitus exstinguebatur. Hanc quidem interpretationem, ut mihi videtur, requirit Pauli consilium, ut plura de hac re non sit necesse verba facere. Οὐχ ἐυρισκῶ autem hoc locum restrictione exponi debet, ut idem sit, quod *interdum* non inuenio: quae interpretatio ex eo perspicitur, quod supra *κατεργασέσθαι* asseruimus. Iam Paulus in hac re demonstranda pergit v. 19. εἰ γὰρ - - - περὶ σῶσω. Huic autem commari non immeritumur, cum argumentum eius non magnopere a v. 15. diuersum sit. Ex hoc autem commate deducit v. 10. conclusionem, cuius veritas non solum ex hoc versu, sed etiam ex v. 18, potest cognosci. Ut adeo v. 19. non modo cuncta ultima verba v. 18, sed vim etiam habeat probandi totum argumentum, quod est in verbis v. 17, οὐκ - - ἀμαρτανία, & quod v. 20. eui conclusio proponitur. Reperit Paulus sub initio v. 20. verba v. 19. & sic argumentatur: si, quod non appeto, (puta το κενόν v. 19.) hoc perficio, ego, qua regenitus, hoc non perago, sed producit hoc, in me habitans peccatum. Si ego regenitus non expeto malum, sed ad bonum iustumque adspiro, non possum non auersari, quod malum est in Dei oculis. Eatenus ergo volo, rectae ut existant actiones. Hinc fugio mala, quae ut nunquam perfecterentur opto ex animo Deo dedissimo. Hinc quod contra legem actum a me vides, omnes animi ad Dei mentem mihi compositi motus, omnes illi non conformatae agitationes ex natura mea, quae perditae est conditionis, seu ex peccato mihi ingenito, trahunt originem.

## §. XIV.

Ad alteram, quam supra (§. XIII.) iam indicauimus, Propositio- nis suae partem, progreditur Apostolus, & v. 21-23. ex hoc peccato deriuat fontem seu legem omnis mali, originem cupiditatis quae nos





ad mala ducit, ortumque actionum execrabilium. Idque ita exponit, ut primo delectaret propositionem inde deductam v. 21, deinde pluribus de illa disserat v. 22. 23. Obscurum admodum videtur comma 21. Si vero tum ad consilium Pauli, tum ad conclusionem, quam ex v. 20. deducere vult, bene attendimus, mihi ea, quam proponam, interpretatio sola vera videtur. Paulus enim ipse repetit id, ex quo thesis concludenda fuit. Hinc, licet verba ὅτι - - παραμεινεται vltimum versus teneant locum, ab iis incipiamus. Το κακον, si respiciamus ad vocem ἀγαθον v. 18. nihil aliud hoc loco est, quam ἐκ ἀγαθον, non-facultas hominis, seu impotentia, legi conuenienter agendi, & cupiditas ea faciendi, quae lege prohibentur. Hinc κακον idem est ac ἀμαρτια; & tota propositio eadem cum illa, ὅτι ἐν ἑμοις οἰκει ἡ ἀμαρτια coll. v. 17. & 20. In hac propositione vis probandi continetur, sique ὅτι significat quoniam, quia. Sensus horum verborum eo redit: quoniam mihi ea inest animi ratio, ex qua id quod malum, quod iniustum est, fuit, ἐνδοξω ἀρα - - καλον, inuenio in me, recte factorum cupido, verum malorum fontem atque veram causam ea efficien-tem. Νομος hic idem est ac norma & ratio, ex qua intelligi potest, cur minus recte agatur, quae definit malas animi cogitationes: sique hoc loco neque legem reuelatam neque naturalem significare potest. Nam 1) Apostolus vult dicere, diuinam legem non esse prauarum actionum nec mortis causam; ergo dari debere aliam eorum rationem seu legem. 2) Vult itaque Paulus aliam legem legi diuinae opponere. 3) Si autem νομος in hoc versu non indicat prauitatis rationem, non video vocem illam indicantem. 4) Nexus etiam hoc innuit. Illud enim ἀρα indicat; Paulum ex antecedente eruere sententiam! quae sola vox satis demonstraret Pauli cogitationem, etiam si vltima verba nostri commatis non adessent, quae tamen nobis eo magis nostrae sententiae veritatem persuadent.

## §. XV.

Haec sententiam declarauit, iam vero illam v. 22. 23. corroborat. Nam, inquit v. 22. delecto Dei lege, quod atinet ad interiorem hominem. Hoc loco inprimis idea interioris hominis definienda est. Hoc vero vocabulum describit animam, quae per spiritus S. auxilium omnes quae regenitum decent, adsequitur virtutes. I. Secundum nostram sententiam denorat animam. Hoc Eph. III. 16. &





16. & 2 Cor. IV, 16. demonstrant. Nos animum non despondemus, inquit Paulus, in posteriore loco; vtut enim homo noster exterior corrumpitur, interior tamen in dies renouatur. Si praecedentia cum loco isto conferimus, facile apparet, *ἐξω ἀνθρώπου* esse corpus, quod in hac vita gerimus. Hoc in versu hunc exteriorem hominem debilitari atque confici docet, quod v. 10. & 11. de corpore nostro dixerat. Vocabulum autem *νεκρωσις* v. 10. non solum illum denotat aeternum, quo Christus vere est occisus, sed depingit etiam omnes castigationes & dolores, qui corpus seruatoris committere morti viderentur. Haec, nisi fallor, Pauli est sententia: quoniam nos, inquit, semper cruciamur, & corpus nostrum tantis afficitur malis, vt magis emortuum quam viuum videatur, imaginem praebemus assictionum & dolorum quin mortis ipsius, Christi. Quoniam vero adhuc viuus corpus, quod non fieri potest, nisi vis diuina illud praeter naturae ordinem seruaret, atque nos propter Christi doctrinam miseris vexamur, manifestum est, Deum nos propter illam saluos esse iubere, illamque hoc modo confirmare. Ex eo quoque apparet, Christum viuere, qui nobis dat vires, vt haec aduersa superemus, id quod v. 11. confirmat. Hinc illa *νεκρωσις*, seu omnia mala, quae Paulus hac voce depingit corpus nostrum affligunt & solum corpus est subiectum quod istae afflictiones proprie afficiunt. Hinc, si Paulus alia voce designat subiectum, cui inest *νεκρωσις*, haec vox corpus nostrum describit. Iam *exterior homo* confici dicitur atque corrumpi. Exterior homo itaque idem est ac corpus nostrum. Quod si ita est: lege contrarietatis anima nostra est *homo interior*. Nam 1) si corpus vnun constituit partem, anima efficit alteram. 2) Hoc etiam eo demonstrari potest, quod Paulus dicit, hominem interiorem *in dies renouari*, i. e. incrementa capere. Quia Deus in mediis afflictionibus seruabat Paulum, inde concludit, 1) se maiore fiducia doctrinam *euangelii* docere, eoque magis persuasum esse de illius veritate v. 13. 2) maximos inde fructus percipere ecclesiam. Nam a) gratiam Dei abundantem agnosceit, b) gratias Deo agit ob summa ista beneficia sibi a Deo collata qui Christum ad gloriam reuocauit, c) itaque maiore fiducia Deo confidit, vt etiam sibi per Christum aditum ad sempiternam pateat felicitatem, d) & maiore laude effert Deum beneficentem. Cuiusnam vero sunt haec incrementa, vtrum corporis an animae?





mae? animae procul dubio; Iam pergit Paulus inde ratiocinari v. 16. Corpus nostrum confici, non potest negari; sed *interior homo* inde maiora capit incrementa. Quanam? certe ea quae ante commemorauerat. Nam si ea non attribuisset interiori homini, ex ante dictis non potuisset concludere, hominem interioriorem crescere. 3) De homine tantum loquitur Paulus. Homo non nisi has duas partes habet, animam & corpus. Si ergo apostolus 1) & detrimenta & incrementa ex malis oriunda attribuit homini. 2) duas adhibet oppositas dicendi formulas, 3) detrimenta verò *corpori* abscribit: ad *animam* pertinent sine dubio supra commemorata incrementa. Ergo *interior homo* animam nostram designat. Sed II. eam describit animam, quae per Dei gratiam fidem Christo habet & omnes, quae regegitum decent, adsequitur virtutes. Id quod ex loci huius tractatione plane potest cognosci. Hanc nostram sententiam praeter locum illum 2 Cor. IV, 6. confirmant etiam verba Pauli Eph. III, 16. Docet enim Paulus v. 12. nobis propter Christum liberum ad Deum parere aditum. Nos itaque, si in Christum credimus, inuit de Dei gratia non posse desperare, sed potius euangelii promissionibus confidentes omnem a Deo expectare posse felicitatem. Qua de re Paulus, cum Christo considerent Ephesii, ne spem illam felicitatis abiiciant, neque animo frangantur Apostoli calamitatibus, enixe rogat v. 13. Propterea, pergit Paulus, genibus flexis supplico Patri I. C., velit vos tanta vi corroborare per Sp. S., vt omni vi & fortitudine polleat homo interior. v. 17. Multa enarrat Apostolus beneficia, quibus Christo addicti cumque ille ad vnum corpus compositi fruuntur. Id maxime habet in voris, vt cum summa animi commotione agnoscerent Christi in nos amorem. Vt vero eo magis gauderent his virtutibus, optat, vt eo magis interior homo corroboretur. Quo maiore excellentia haec virtutes eminent in Christianis, quo fusior & efficacior in illis cognitio est, de Christi in nos amore, quo maiore vi illis adest Sp. ille sanctus, eo maiore vi & fortitudine gaudet interior homo. Quis ergo est, qui dubitet, quin beneficia ea pertineant ad animam, eamque Christo, Sp. S. auctore, addictam, eiusque doctrinae studiosam. Haec vero significatio nostro in loco omnino debet adsumi. Nam 1) in illis duobus locis & in nostro illud *ἕως ἀνθρώπων* tantum inuenitur. Nonne autem recte concludimus; quia in illis locis haec dicendi forma ita explicanda est, hinc in nostro quoque loco, si nihil obstat, de anima intelligi debet sanctificata? 2) τῷ νοῦ θελεῖν νομῶ Θεοῦ, & συνήδημι τῷ νομῷ τε Θεοῦ κατὰ τὸν ἕως ἀνθρώπων, sunt dictiones, eundem exprimentes significatum. Nam 1. illud *ἕως* vnam eandemque personam seu subiectum describit, & meo quidem iudicio sine ratione duo finguntur diuersa subiecta. 2. Illud *ἕως ἀνθρώπων* animam aequè describit ac



v. 25. 3. Ab eo, quod agit *menti* obsequens, illud discernit, quod *τη σαρκι* & *νομω* *αμαρτιας* obtemperans agit. Atqui *την σαρκι* & *την αμαρτιαν* disiungit ab eo quod est *εσω ανθρωπος*. Hinc, nisi me omnia fallunt, omnino sequitur, ut, si *νec* est anima, quae Christo fidem habet, *εσω ανθρωπος* eandem sibi notionem vindicet. Iam vero *νec* habet illam, quam diximus, ideam. Nam idem ille, qui Deo patri per I. C. agit gratias, *mente* legem Dei sequitur, v. 25. Illa ergo *mens* agnoscit I. C. eiusque meritum suum facit. Qui vero fiduciam in Christo ponit, ille habet quoque spiritum Christi, in illo habitat spiritus Dei, ille est idoneus ad eas virtutes, quas homines, Deo per Christum conciliari, adsequi student, Rom. VIII, 9. 10. Phrasit itaque *εσω ανθρωπος* in nostro loco eandem habet notionem. Hinc sensus huius commatis est: delector lege diuina, quatenus mens mea videtur viribus a Spirit. S. suppeditatis. Κατα hoc loco & passim denotat auctorem & causam efficientem, ut in illa phrasi *λυπη κατα Θεον*, tristitia a Deo, auctore, concitata, aliisque exemplis, quae vide Eph. IV, 22. 1 Cor. XII, 3. coll. v. 9. 11. Hanc itaque sibi vindicat interpretationem hic locus noster: mens acta a spiritu sancto *efficit*, ut teneor legis magna voluptate. Eatenus ergo nihil in me peccati oritur; neque ego video fontem prauos animi motus ebullientem, minusque rectas agitationes.

## §. XVI.

Sed pergit v. 23. *βλεπω ετερον νομον*, video alium quasi fontem, ex quo putridae illae exoriuntur actiones; aliamque legem, legi diuinæ mentisque meae coelesti cupiditati inimicam, & cum illa pugnantem. Vocabulo *ετερος* haec adhaeret significatio, ut id denoter, quod alii rei plane aduersatur, coll. Gal. I, 6; quam significationem hoc loco suadet contextus. Nam Paulus sub *ετση νομω* intelligit *αμαρτιαν*, quod peccatum, cuiusque norma, ad quam sua dirigit molimina, plane dissentit a lege diuina, & a mentis cupiditate ad Dei voluntatem compositae. Sicque, cum animus piorum non omnino ad mala tendat, neque lex diuina ea praecipiat, verum fontem, rationem, seu *legem*, ad quas malae componuntur actiones, ostendit. Iam vero v. 18. 20. 21. & 25. docet, *αμαρτιαν* id esse, ex quo omne, quod peccatum audit, ortum trahit. Hinc sub *ετση νομω* intelligit *αμαρτιαν*. Illa itaque phrasit *video aliam legem*, nihil aliud est, quam, video autem peccatum, quod alienae est, a *mentis* indole, naturae. Hanc *aliam*, inquit, *legem* video *in membris meis*, i. e. *in me*. Nam illud, inquit, v. 17. & v. 20. peccatum *habitat in me*. Ergo hanc aliam legem etiam *in se* vidit, quatenus erat *naturae* corruptae, quam restrictionem ipse apostolus parenthesi illa innuit v. 18. Simili ratione *τα μελη* Rom. VI. 13. ponitur pro *εαυτες*. Haec *alia lex*, inquit, seu *αμαρτια εν εμοι οικουσα*, reluctatur *τω νομω* *τα νοος* *μα*, i. e. *τω νοι* *μα*. Abundare mihi videtur hic vocabulum *νομος*. Eodem modo *νομος* inuenitur Rom. IX, 31. coll. v. 30. & 32. vbi *διωκειν δικαιωσιν* & *νομον δικαιωσιν* eandem inuoluunt notionem. Hanc vero interpretationem nobis Gal. V, 17. imponit, qui locus eandem tractat materiam. Ibi vero *σαρξ* & *πνευμα*, quae voces vocibus *νec* & *αμαρτια* respondent, simpliciter ponuntur. Hoc vero peccatum non solum contra mentem nititur, sed captiuam quoque ducit eam; ut Apostolus verbis hisce exprimit *αυχηλωτισονται με* = *μελεσι* *μα*. Verba *τω νομω της αμαρτιας* idem ergo





ergo sunt, ac τῆ ἀμαρτία; & voces, τὸ οὐτὶ ἐν τοῖς μέλεσι μὲ, respondent illis τὸ οὐτὶ ἐν ἐμοί, quod se refert ad locutionem illam ἀμαρτία ἐν ἐμοί δι-  
 νουσα v. 17. Tota dictio autem nihil aliud est, quam peccatum me sibi capti-  
 tum facit i. e. efficit, vt interdum, mente reluctante, obediam illi tanquam do-  
 mino. Qua vehementia ergo improbissimus iste dominus imperat hominibus!  
 En igitur calamitatum omnium fontem, eumque verum! En mortis causam,  
 eamque vnicę veram. Cum nihil fere sit in v. 24. 25, quod ex superioribus intel-  
 ligi non possit, nec spatium mihi concessum de illis vberius disputare permittat,  
 quae ad illustrationem horum versuum iam in medium producta sunt, sufficient.

## COROLLARIA.

- I. Non omnino reiicienda est PLINI de aeternitate literarum Hypothesis.
- II. Iniquum est WALTONI aliorumque de HIERONYMO iudicium, qui statunt,  
 eum linguae syriacae plane ignarum fuisse, ideoque ad ea in quibus Sy-  
 rus interpretis a reliquis differt, minus fuisse attentum.
- III. Editioni primae vindobonensi Versionis syriacae N. T. leue statimus pre-  
 tium, cum non interpolata tantum, sed etiam mutila sit, ac erroribus scatur.
- IV. In loco illo Rom. VII. 22. Versio syriaca verba graeca κατὰ τὸν ἑσῶ ἀνθρώ-  
 πον bene exprimit per *ܕܥܘܢܐ ܕܥܘܢܐ*.

ORNATISSIMO ET CARISSIMO  
 HVIVS DISSERTATIONIS AVTORI ET DEFENSORI

S. P. D.  
 P R A E S E S.

EA est temporum nostrorum felicitas, vt rationes non e longinquo petendae  
 sint, quae studium n explicandis difficilioribus sacri Codicis locis positum  
 commendent. Quo quis est harum rerum peritor, eo dignius illis statuit pre-  
 tium, qui hoc literarum genus in deliciis habent, & ex eo gloriam quaerunt.  
 Hanc esse egregiam laudem istam, ad quam TV adspirasti, testor, & cum insi-  
 gni animi oblectatione profiteor. Ex quo enim mihi innotuisti, spem de TE  
 concepi optimam, cum viderem, TE ad addiscendas bonas literas, & ad ea om-  
 nia, quae sanctioris disciplinae cultorem ornant & iuvant, summo cum ardore  
 ferri. Specimen, quod publico eruditorum examini subiicis, testem habes dili-  
 gentiae, & laudis TVAE praeconem. Totum TIBI debetur, nec mihi quic-  
 quam vindico, quem in illo disponendo & refingendo TIBI adiunxisti laborum  
 socium ac comitem. Respondet omnino hoc TVVM Specimen, spei, quam de  
 TE feceras, fore vt nomine & munere Senioris, quem dicunt, Seminarii theolo-  
 gici, TE dignum praestares. Magnopere mihi placuit hoc, quod autoritate  
 grauissima commotus, iniusti conscribendae Dissertationis consilium, quo effeci-  
 sti, vt non paucorum assensu laus TVA absolueretur, sed in publicum quasi  
 finem perductum laborem & Deum O. M. precor, vt conatibus TVIS reliquis  
 annuat, TEque omni verae felicitatis genere abundare iubeat. Vale, & me, vt  
 TE amore meo nunquam non complectar, ama. Dedi in Alma  
 Fridericiana, d. III. Decembr. c176cc LXIV.



Tb 2205

W 70

ULB Halle 3  
004 716 302




↓

R


10











Farbkarte #13

B.I.G.

DISSERTATIO PHILOLOGICO-PHILOSOPHICA  
QVA  
IN SENSVM LOCI DIFFICILIORIS  
EPISTOLAE S. PAVLI AD ROMANOS

CAP. VII, 12 --25.

INQVIRITVR

P R A E S I D E

IOANNE LVDOVICO SCHVLZE A. M.

PHILOSOPHIAE PROF. PVBL. SEMIN. THEOL. INSPECTORE

FAVTORE ET PRAECEPTORE OPTIMO

D. DECEMBRIS MDCCLXIV.


DEFENDENDA

AB AVCTORE

ANTONIO FRIDERICO STRAVBE

NEOMARCHICO,

SEMINARII THEOL. SENIORE.



F.

HALAE MAGDEBVRGICAE EX OFFICINA HENDELIANA.

24